



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

---

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>



400 3222 (1)  
7.  
JOHANNIS WILHELMI GOEBELII  
JURIS P. P. ET ORDINARIII

*PROGRAMMA*  
DE  
**HISTORIA JURIS**  
**CIVILIS RECTE**  
**CONSTITUENDA.**


*QUO SIMUL GENEROSOS ATQUE NOBILISSIMOS  
HUIUS ACADEMIÆ CIVES AD LECTIONES SUAS  
PUBLICAS OFFICIOSISSIME INVITAT.*



*HELMSTADII,*

---

TYPIS HERMANNI DANIFLIS HAMMI, ACAD. TYPOGR.  
ANNO MDCCCXVII.



**C**Um Academiæ nostræ legibus consentaneum sit, Commilitones suavissimi, Themidisque Cultores solertissimi, sub Professorii muneris initium, thema aliquod publico committere programmati: Diu animo fui suspensio, quodnam tandem pensi mei haberem argumentum. Equidem aliorum excutere peras, chartamque verborum saltem onerare lenociniis, ab omni tempore nefas putavi. Variæ deinde mentem meam occupavere cogitationes, an de genuina in Jurisprudentiam incumbendi methodo, aut de Jurisconsultorum Romanorum principiis assumtis, & maximam partem ad exercenda ingenia saltem propositis, differerem. Sed incertus fluctuans, nescio quò fato in Baconis, (a) summi Angliæ Cancellarii, de Augmentis scientiarum librum, & quidem in subiuncta incidi verba: *Nos nihilominus fugit, in scientiis particularibus Jureconsultorum, Philosophorum, haberi levem aliquam mentionem, aut narrationes quasdam jejunas de sectis, scholis, libris, auctoribus et successione hujusmodi scientiarum; Attamen justam atque universalem literarum historiam nullam adhuc editam asserimus.* Hæc mihi in memoriam revocârunt, quod olim de historia juris civilis novâ, totumque eius objectum penitus exhauriente methodo, conscribenda, cogitavi. Sunt certe multi, qui Jureconsultorum tam veterum, quam recentiorum vitas literis consignavere. Inter eos, qui ad Enchiridion Pomponii, aut potius Triboniani, aliquid in lucem edidere, Hottomannus, Rupertus, & Zasius nostras reliquis facile palmam præripere videntur. Quæ van der Muelert in Commentario, recens edito, suppeditat, non æque magni

(a) l. 2. p. m. 38.

funt pretii. Legit enim tantum vestigia aliorum, consecrata veterum nonnulla affuit loca, jejunasque, more solito, congerit verborum ambages. Circa Jurisconsultorum vitas, (b) in proscenium producendas, operam præprimis impendere Oldendorpius, Bernhardus Rutilius, Joannes Lorichius, Joannes Fichardus, Marcus Mantua, Joannes Baptista Zillerus, Matthæus Gribaldus, Franciscus Floridus, Catellianus Cotta, Iacobus Spigelius, Bernhardus Gesnerus, R. Constantinus, Melchior Adami, Bertrandus, Theoderus Ebertus, Nicolaus Henelius, Hadamarus, Panciollus, Julius à Puteo, Joannes Roberti. Recentiorum nonnullorum, Juris fama clarissimorum virorum, vitarum scriptores in Lippenii Bibliotheca (c) Juridica reali recensentur. Guilielmi Grotii de vitis Jurisconsultorum, quorum nomina in Pandectis exstant, elegantissimum habemus libellum. Optarem, ut hic à Juri operam navaturis sedulis tereretur manibus.

Nomen Historiæ Juris civilis varii libris suis impertivere, rem autem ipsam hactenus confecit nemo. Huc spectat Aymarii Rivallii Historia Juris civilis. Francisci Polleti Historia fori Romani, cum annotationibus Philippi Broidæi, sua non est defraudanda laude. Försteri libellus, ne teruncio quidem dignus, infinitis scatet erroribus. Miror Befoldum in Templo Justitiæ tam impense Autori adulatum esse, quasi satis feliciter Historiam Juris civilis absolvisset. Rupertus rerum Romanarum peritissimus, in Notis ad Pomponii Enchiridion quam sæpissime, et quidem non injuriâ, ob insignes in Historia romana lapsus, eum castigat. Gravinæ multa debentur encomia, non ob Historiam Juris civilis, quam

(b) Freymonii Elenchus omnium autorum, qui injur. scripserunt  
p. m. 50. (c) p. m. 549.

quam non composuit; sed ob vitas Jurisconsultorum, sat pulchre, at non, ut par erat, enarratas. Quæ de Legibus Romanis habet, magis juridice & critice quam historice pertractat. Et multa alia sunt in libris ejus de origine Juris civilis, quæ censoriam merentur virgulam. Illustrius Thomasius, in considerationibus suis, non recte ratiocinantem refellit. Nec in historia ubique verum attingit. Enimvero, quod Lotharii Saxonis jussu Romanæ leges in scholis Italiæ, potissimum Bononiæ publice doceri cœperint, fabella est, a Conringio, (d) Lindenbrogio, (e) aliisque jam diu profligata. Non ignoro, Gravinæ hic multos esse erroris socios, ipsum quoque Sigonium, (f) & Labbeum, (g) Bononiam Mutarum sedem a Theodosio Imperatore constitutam, & depulsa barbarie, studia ibi penatibus suis restituta, auctoritate potissimum Caroli Magni, & deinde Lotharii, vulgo traditum est: verum diploma Theodosii, quod, in hujus rei fidem, *apud Ecclesiam Sancti Petronii Bononiæ, tabulæ marmoreæ incisum est, apud cordatos viros, rerumque antiquarum peritos, claudicare videtur.* (h) Impingit etiam Gravina, quod Irnerio authenticas attribuit, quem tamen earum non esse autorem, dissertatione peculiari Strauchius (i) demonstrat. Burchardus Wormatiensis & Ivo Carnotensis diu, antequam Irnerius lucem aspexit, (k) authenticas ex Codice in testimonium vocarunt. Plura jam huius generis apponere, temporis ratio non patitur. In votis esset, aliquem Juris & Historiarum scientia penitus imbutum, ex imitatione saltem Diogenis

A 3

Laërtii

- (d) De origine Juris Germanici c. 27. (e) In Præfat. Cod. legum antiquarum. (f) De Regno Italiæ ad ann. MCXXXVII. (g) In Chronologia Historica parte II. ad ann. MCXXXVIII. p. m. 461. (h) Ughelli Italia Sacra tomo II. p. 79. (i) de Irnerio non errante. (k) Mauritiæ opuscula p. m. 103.

Laërtii, ad literis mandandam Juris civilis Historiam, animum appulisse. Quid mihi hic sit propositi, subsequens indicabit delineatio.

In Historiæ Juris civilis Part. I. Sectio I. Leges antiquæ Græciæ, ex scriptis veterum, rerumque gestarum monumentis, sunt eruendæ. Tempus legislationis, omnesque aliæ circumstantiæ probe sunt attendendæ. Videndum denique, quomodo leges in causis sint adhibitæ; ubi de interpretatione, & judicii, tam quoad personas, quam quoad procedendi modum, dicendum est.

Sect. II. De mutationibus legum sermo fieri debet, nec ulla circumstantiarum oblivioni tradenda: in primis autem in rationem mutationis est inquirendum, quæ non raro ex mutatione Reipublicæ propullulat. Igitur mutationes Reipublicæ tam essentielles quam accidentales, quatenus cum mutatione legum cohærent, sunt examinandæ. Deinde, quænam fuerit legum istarum fors in transmigratione ad alias gentes, & quomodo ibi receptæ & suæ applicatæ Reipublicæ, pertractandum est.

*Autores, qui hic in subsidium vocandi:* Herodotus, Thucydides, Demosthenes, Isocrates, Pausanias, Strabo, Diodorus Siculus, Xenophon, Plutarchus, Athenæus de Dipnosophistis, Petiti Leges Atticæ, Ubbonis Emmii Respublicæ Græciæ.

Partis II. Sectio I. Præmissis necessariis de legibus Regiis, quarum nonnullæ decem viralibus insertæ sunt scitis, docendum erit, qua occasione Græcorum leges ad Romanos transferint. Omnes vero circumstantiæ, ut supra iam monui, sedulo sunt perpendendæ (1) Nam illud Polybii omnino cum veritate coincidit: *Si tollas ex Historia quare, quomodo, quo fine quicquid fuerit actum, & an ex ratione gestum*

(1) Camdenus in præfat. Annal.



*si non successerit, quicquid reliquum est, iudicium magis erit, quam documentum. Et in praesens quidem oblectet, in posterum non proffit.* Sic ponderandum, quomodo Graecae leges Romanae susceptae, & quibus autoribus ad statum istius Reipublicae formatae sint, quid iis additum, quid demtum, qua ratione civium actiones forenses ad illas exactae & dijudicatae; ubi de Juris interpretatione tam authentica quam doctrinali, & iudicii est agendum. Interpretum investiganda origo, progressus, conditio, diversitas, animi dotes, peculiaria dogmata: iudiciorum autem qualitas, varietas, formulae agendi, caeteraque ad processum spectantia.

*Autores: Cicero, Quintilianus, Dionysius Halicarnasaeus, Livius, Festus, Macrobius, A. Gellius.*

Sect. II. Mutationes Juris antiqui per Plebiscita, Leges, Senatus consulta, Praetorum Edicta, Principum placita sunt ad scribendam; ubi singulorum Historia, nempe occasio, causae, fata, aliaque huc pertinentia. Denique quid circa interpretationem & applicationem sit factum, memoriae prodi debent. Hic de Jurisconsultorum secundae periodis vitis, scholis, methodo jus tradendi, dicendum, & quasnam peculiare foverint sententias; unde sectae sunt enatae, de quarum fati, affectuum frequentia, Magistrorum propagatis aut immutatis dogmatibus loquendum est. Multa enim in Jure nostro habemus loca, ubi diffidorum inter Sabinianos & Proculianos reperiuntur vestigia. l. 1. ff. de contrah. emt. l. sed Proculus ff. mandati, Instit. quibus modis tutela finitur. l. 138 ff. de verb. signific. l. 115. ff. de verb. obligat. l. in omnibus ff. de acquirendo domin. aliaque quamplurima. Monendum quoque de syncretismo Jurisconsultorum sive, Jurisprudencia Ecclesiastica, ut & de iudiciis hujus temporis, ubi nihil ad personas in foro adhibitas, & ipsum litigandi modum spectans, est praetermittendum.

*Auto-*

**Autores:** Tacitus, Suetonius, Dio Cassus, Xiphilinus, Zonaras, Zosimus, Scriptores Historiæ Augustæ, Jurisprudentiæ Antejustinianæ Fragmenta, Pandectæ. Codex Theod. & Just.

Part. III. Sect. I. Tractari debet de occasione, qua Jus Romanum in Græciam est translatum, quomodo ibi radices egerit, a Justiniano tandem compilatum sit, ubi de ipso Imperatore, Exquæstore Triboniano, ejusque foris Juris abbreviatoribus et compilatoribus, illorum indole, ausu, methodo, qua in congerendo jure usi sunt, & de tempore, quo totum est perfectum opus, agendum est; ubi & compilationes Constitutionum Imper. Justinianeam antecedentes sunt enarrandæ Cui addendum, de Juris Justiniani interpretibus & translatoribus, judiciorum forma, Historia processus, & praxi forensi.

Sect. II. Juris Justiniani fata & mutationes sunt exponendæ; ubi de suppressione eius in oriente per libros βασιλικῶν, & in occidente, per gentium septentrionalium irruptionem, exitu ferme totali edisserendum est.

**Autores:** Eusebii vita Constant. Magn. Photii biblioth. Ammian. Marcell., Procopius, Agathias, Suidas, Hesychius, Paulus Diaconus, Balduini, Gifanii, Gentileti, Rivii Justinianus, Godofredus ad Codicem Theodosianum, ejus Bibliotheca Juris Civilis Romani Novellæ.

Sect. III. De libris Basilicorum, omnibusque, quæ ad Historiam eorum recte intelligendam faciunt, agi debet. Capita a Jure Justiniano diversa sunt indicanda, Epitomatorum, Glossatorum, Commentatorum conatus historice sunt examinandi; nec, quæ ad judicia hujus temporis, prout a Justinianeis sunt diversa, pertinent, sunt negligenda.

**Autores hic adhibendi:** Scriptores Historiæ Byzantinæ tam Ecclesiasticæ quam profanæ; Suarefii Notitia libr. Basilic. a Fabrotto Basilicis præmissa, ipsi βασιλικῶν libri, ut & eorum

eorum Synopses, & Commentarii, Fabrotti liber de legibus in Corpore Juris non exstantibus, e libris Basslicorum supplendis.

Part. IV. Sect. I. Juris Justiniani resuscitati occasio, atque circumstantiæ sunt enodandæ; ubi de Interpretibus ejus, Summistis, Glossatoribus, Commentatoribus est dicendum, placitaque singulorum sunt referenda, quatenus aliquid novi sive in ipsis dogmatibus, sive in methodo habent; non Criticorum more, ut in laude & censura tempus teratur, sed plane historicè res narrentur, judicium parcius interponatur. De Judiciorum natura & varietate postea tractatio est instituenda, & quomodo processus pedetentim, ex Jure Canonico, aliam hauserit formam, moneri debet.

*Auctores*: Germanorum aliorumque, qui Jurisconsultorum vitas conscripsere, ipsaque juris Peritorum, maxime celebrium, scripta sunt inspicienda.

Sect. II. Jus Justinianum restauratum ex Italia sùbinde ad varias transmigrasse regiones, quæ sunt commemorandæ. In unaquaque gente annotandum, quâ occasione istud factum, quo autore, quo suadente, an tacito saltem usu, an publica quoque accesserit autoritas, quem nam ibi habuerint aut habeant leges usum, quomodo in judiciis receptæ, & à prudentibus expositæ & applicatæ sint.

*Autores*: Scriptores rerum Germanicar. in quibus pauca quidem huc spectantia occurrunt, Lindenbrogii Codex legum antiquarum. Conringius de origine Juris Germanici, Conradus Sincerus sive Kulpisius de eodem argumento, Mevius ad Jus Lubecense, Arthurius Duck de Autoritate Juris civilis, Mauritius de usu librorum Juris civilis. Schiltèri praxis juris Romani, Groenweg de legibus abrogatis, Stryckii usus modernus pandectarum. Scriptores rerum Francicarum a du Chene collecti. Item scriptores undecim ex bibliotheca Pi-

thæi editi. La Biliotheque du Droit François, Recherches de la France par Pasquier, Henrici IV. & Ludovici XIV. Codices, Loix abrogées en France par Bugnyon, Pandectes du droit François par Charondas, Institution au droit François par Coquille, Abregé de la jurisprudence Romaine par Colomber, Rebuffi Comment. in Constit. Regias, Enchiridion juris scripti Imberti. Schotti Hispania illustrata, Corona Gothica par Don Diego Saavedra. Partitæ Alphonsi IX. Alberici Advocatia Hispanica, Gomez ad leges Tauri, Covaruvias, Gonzalez de Torneo practica, Alph. de Azeu recapitulat: Emanuel Mendes a Castro practica Lusitana. Joam Martins da Costa tractado da forma dos libellos. Cardoso d' Amiral summa seu praxis judicium. Scriptores rerum Anglicarum, J. Cti. Fleta, Braet, Cocus, Floud, Britton, Littleton, Cowels Institutiones juris anglicani, Historical and political discourse of de laws & Government of Engeland, collected by Nathaneel Bacon of Grays, Skenæi liber, qui inscribitur Regiam Majestatem Scotiæ. Stirnhoeck de origine juris Svetici. Loccenii Synopsis juris, aliique variarum gentium scriptores, ad hoc argumentum facientes.

Omnia in hac delineatione memorata, ut & alia forsitan omissa, certis capitibus methodo naturali, id est quæ naturâ priora præponuntur, & scientifica sunt disponenda & combinanda. Sunt fortassis, qui non magnam ex Historia juris Civilis sibi promittunt utilitatem: sed impense falluntur. Quid enim juri operam daturis majori potest esse emolumento? quam ut, antequam ad profundissimum rerum divinarum humanarumque sulcandum accedant mare, in fluentis Historiæ juris civilis commode navigare discant, ne, dissuadente potissimum Gajo (*m*) *illotis manibus materiam interpretationis tractare audeant*. Rationes enim legum omnium optime

ex

(*m*) L. l. ff. de origine.

ex ratione illius Reipublicæ, in qua vim obligandi habent, cognoscuntur. Nam leges civiles plerumque Reipublicæ utilitatem primario respiciunt. Hoc Julianus (n) testimonio suo aliquo modo firmat: *Multa jure civili, contra rationem disputandi, pro utilitate communi recepta esse, innumerabilibus rebus probari potest.* Hinc inquirendum in statum Reipublicæ istius, in qua lex est lata, quid tunc acciderit? quod legi occasionem dedit, unde facile colligi poterit, an lex in sensu extensivo, aut restrictivo sit accipienda. Conducit quoque Legum latorum, eorumque, qui in Legibus ferendis auxiliatrices præbuere manus, indolem, mores, aliasque animi dotes scrutari. Solent enim, in legibus fanciendis exponendisque, non raro genio sup indulgere. Sic, si Antonini Caracallæ animum, & libidini- bus & luxurie detritum, contemplamur, facile compertum habebimus, constitutionem l. 17. ff. de statu hominum: *In or- be Romano, qui sunt ex constitutione Imperatoris Antonini, cives Romani effecti sunt,* cujus ille, non Pius, non Marcus Antoninus autor est, (o) *non a benefica quadam Principis, sed lucri tan-*

B 2

tum

- (n) l. 51. §. 2. ff. ad legem Aquilam. (o) Ezech. Spanhemii Orbis Romanus exercit. 2. C. 1. 2. 3. 4. p. m. 165. & seqq. edit. Lond. Petitus ad leges Atticas p. 136. Aberrant igitur, qui ad exemplum Justiniani nov. 66. C. 5. hoc placitum Antonino Pio tribuunt, ut Alciatus l. 2. dispunct. C. 21. Pancirollus Vario: l. 2. C. 64. Cujacius observ. l. 4. C. 5. p. m. 79: Aut M. Antonino ut Gro- tius, Aurelium Victorem sequens, non quidem lib. 2. C. 9. §. XI. p. 2. de J. B. & P. ut Spanhemius putat, nam ibi nihil monet, cui An- toninorum hæc constitutio sit tribuenda. Varie Caracalla in jure nostro Antoninus vocatur l. 37. ff. de condit. & demonstr. Titus Antoninus l. 45. ff. de Minoribus l. 1. C. de juris & facti ignor. l. 1. de testam. tutel. l. 1. C. de Servit. l. 1. C. de Libertis l. 1. C. de Advoc. fisci l. 1. C. de conditionibus insertis. Spanhemius l. c. p. m. 197. huc refert etiam l. 1. C. adurf. C. ced. quæ tamen est Antonini Pii, sanc- cita

tum & corroganda quibuscunque artibus pecunie studiosa mente continuo profuxisse. Veritatis hujus testem omni exceptione majorem habemus Dionem Coccejanum (p) in rebus Antonini Caracallæ. Postremo, inquit, præter vectigalia, tum alia, quæ ab ipso primum reperta sunt, tum vectigal decimæ, quam pro vicefima constituit, tam eorum qui manu mitterentur, quam hereditatum ac legatorum: eum succedendi jus, & immunitates omnes, quæ proximis defunctorum ac genere conjunctissimis concessæ legibus erant sustulisset. Cujus rei causa etiam OMNIBVS, QUI IN ORBE ROMANO ERANT, CIVITATEM DEDIT: specie quidem ipse eis honorem tribuens, sed revera ut fiscum suum augetet, quippe cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent. Eodem modo, qui dissimulatum Augusti ingenium, in speciem admodum, populare intuebitur, facile legem Regiam omnium antiquorum scriptorum testimoniis adversam, quippe qui sub Augusto Populo multum adhuc tribuunt auctoritatis, figmentum esse, confitebitur. Dominus Noodt (q) Ulpianum

cita M. Valerio Largo & M. Valerio Mess. Conf. Bassiano quoque Magni elogium tribuitur: l. 5. ff. de Veteranis. l. 11. §. 3. 4. ff. de muneribus l. 11. ff. de legatis. l. 1. ff. de Req. vel abs. damn. l. 11. ff. de div. temp. præscr. l. 16. §. 11. ff. de public. l. 14. §. 2. ff. de excusat. Vide quoque Anton. Augustini lib. sing. ad Modest. p. m. 206. Nummum in quo Magni illud Cognomen signatum est, ex Gaza Gallorum Regia exhibet Spanh. l. c. p. m. 211.

- (p) Excerpt. ad Dionis lib. 76. p. m. 745. interprete Valesio.  
 (q) Lib. 1. Observ. p. m. 412. opp. Et hoc ex antecedentibus constat. Nam ibi nihil aliud dicitur, quam, quod Principi placuit leges habere vigorem, id est, Principi una cum Populo competere debere potestatem legislativam. Antea enim plene & plane supremi Magistratus in Republica Romana sub Populo erant, nec ad potestatem leges ferendi, nisi ut instrumenta, concurrebant. Lege Regia vero Principes coeperunt esse sui juris, & facultatis leges

num. l. 1. ff. de C. P. nequaquam vulgarem de lege Regia fovisse opinionem: sed Principi a populo, jus condendi facultatem, esse datam, tantum docere, ostendit. Nec Dio Cassius (r) Legi Regiæ omnimodè patrociniatur. Statuit enim Augustum post tribunitiam in quinquennium potestatem, pleraque Imperatoriæ potentia propria accepisse. Jam vero Imperatoria potestas haud dubie non ita laxos habuit terminos.

Sectarum placita ex ipsis fontibus sunt investiganda. Multa hic debentur Diogenis Laërtii Historiæ Philosophicæ, utpote quæ Fragmenta diversarum veterum sententiarum

B 3

com-

leges sancendi facti sunt participes, ut subiectum aliquod majestatis existentia. A Populo, interrogante Senatorio Magistratu, etiam sub Augusto, Tiberio, Claudio variæ sunt sancitæ leges, Noodt l. c., & sub Vespasiano adhuc Comitia habebantur. Nec aliam hic Ulpiano fuisse mentem, ex aliis Legibus in partibus reliquis, quæ itidem ex lib. 1. eius laetit. sunt desumptæ, ut l. 4. ff. de justitia & jure l. 4. de his qui sunt sui vel alieni juris l. 28. ff. sol. matr. l. 24. ff. de capt. & possi. constat, in quibus omnibus agitur de iis, qui sunt vel plene, vel ex parte sub alterius potestate, aut sui juris. Fortassis alicui ex l. 1. ff. de precario, quæ ad lib. 1. Inst. Ulpiani quoque pertinet, sententia enasci posset, Jureconsultum nostrum in opinione fuisse, partem istam potentia, in quam Augustus a populo erat assumptus, illi precario esse concessam. Et huic rei fides aliqua accedere videtur ex Suet. Oct. Cæs. c. 28. p. m. 157. ubi Augustus forsitan etiam morsibus conscientia stimulat, de reddenda Republica his cogitavit, primo statim post oppressum Antonium, memor, objectum ab eo sapius, quasi per ipsum stare, ne redderetur Resp., ac rursus tædio diuturnæ valetudinis. Alii, e contra pro lege Regia, tanquam pro aris & focis depugnant. Conf. Huberi Eunomia juris Romani lib. 1. p. m. 32. 43; & lib. 1. Digress. a. c. 16. ad finem, ubi disput. adversus Schoockii librum de lege Regia. (r) Lib. LIII. p. m. 526.

complectitur. Quam plurima enim Jurisprudentiæ asserta ex antiquorum morali Philosophia sunt desumpta. Igitur apprime facit ad Jurisconsultorum veterum opiniones recte percipiendas, principia hic consulere. Transmigrationes legum ad alias gentes, earumque mutationes sub contemplationem vocare, maximo est usus. Nam in Lege derivativa sæpe occurrunt obscura aut corrupta quædam, quibus ex lege primigenia lux aut correctio affundi potest. Mutationes legum curate intueri, admodum prodest, cum hoc ad earum efficaciam, & quomodo una alteri deroget, cognoscendam, requiratur. Plura hujus argumenti subjungi possent, nisi animo volverem, præfamini ipsius operis, propediem edendi, hæc omnia committere. Interim delineationis meæ, hic recensitæ, in prælectionibus publicis, Elementis Jurisprudentiæ Romanæ præmittendis, hora VIII. matutina periculum faciam. Aditis igitur, quæso, Commilitones optimi, tempore statuto, in Auditorio Juridico, & conjunctis animis, mecum in notatu dignum istud Septimii Severi conspiretis, LABOREMUS.

